



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 127. Galli & Hispani de regni divisione contententes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

a signis dimisisse, ex aduerso autem Hispanorum copias duobus Germanorum millibus auctas fuisse, pristinae dissimulationis suae praetextus evoluit, ac nimiae Ludovici Regis credulitati illudit: hanc vero perfidiam presso pede insequabatur animorum dissensio Gallos inter & Hispanos suborta; unde factum, ut Galli Neapolis regno penitus excluderentur.

Sæcul. XVI.

A. C. 1502.

§. CXXVII.

Galli & Hispani de regni divisione contententes.

Haud equidem partiti Neapolis regni limites adeo disertis verbis in partium tabulis circumscribi poterant, ut omne litigandi argumentum e medio tolleretur; hinc brevi ambo Reges de quarundam particularium Provinciarum jure contendere cæperant, quovis eorum illas sibi vindicare intento; Præcipuam vero jurgiorum materiam suppeditabat Basilicata, quæ a priscis Lucania dicebatur, necnon Capitanata, ac Principatus ulterior, citeriorque; quos inter

Marian. l. 27

n. 57.

Guicc. lib. 5.

Capi-

Hæc laudatus Burchardus Gotthelfius Struvius in sua Historia Germanica tom. 2. period. X. sect. 3. §. XVI. fol. 948. de verbo ad verbum recitat.

B b 4

Sæcul. XVI.
A. C. 1502.

Capitanata omnium prima ad rumpendam amicitiam prætextum subministrabat; hæc enim Provincia erat olim Apulii pars, atque juxta eam, qua regnum antiquitus divisum fuerat, normam Apuliæ annectebatur, ceterasque ditiones provinciarum ubertate longe superabat, ac felicissima totius status regio merito celebrabatur; naturæ enim beneficio agrum maximam frumenti copiam suppeditant, atque ex armentis, quæ hyemali tempore eo pabulatum ducuntur, pinquæ percipiuntur vectigalia. Jam illo ævo teste Mariana Capitanata nuncupabatur, quo hæc Italiæ pars Imperatoribus Græcis parebat, illudque nomen hodie obtinet, primo autem *Catapania* vocabatur, mutuato nomine a quodam Governatore, *Catapano* nomine, quem Constantinopolitani Imperatores eo decreverant, inde vero mutatis nonnullis literis *Capitanatus* dicebatur, a quo nomine hodie usitata *Capitanei* vox descendit, quo vel cujusdam militaris centuriæ Tribunum, aut exercitus Ducem appellare solemus.

§. CXXVIII.

Bellum inter utramque Nationem restauratum.

Marian. ib.
n. 52.

Equidem Galli se Neapolis regnum juxta veteris divisionis normam distribuisse